Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26908
Copyright: Admont, Benediktinerstift

10

XX. Interea Saxones Pictique bellum adversus Brittones iunctis viribus susceperunt, quos eadem necessitas in castra contraxerat. Et cum trepidi partes suas pene impares iudicarent, sanctorum antistitum auxilium petierunt. Qui promissum maturantes adventum, tantum paventibus fiducie contulerunt, ut accessisse maximum crederent exercitum. Itaque apostolicis ducibus Christus militabat in castris. Aderant etiam quadragesime venerabiles dies, quos religiosiores reddebat presentia sacerdotum, in tantum ut cotidianis predicationibus instituti certatim populi ad gratiam baptismatis convolarent. Nam maxima exercitus multitudo unda lavacri salutaris expetiit, et ecclesia ad diem resurrectionis dominice frondibus contexta componitur, atque in expeditione campestri instar civitatis aptatur. Madidus baptismate procedit exercitus, fides fervebat in populo, et contempto armorum presidio divinitatis expectatur auxilium. Institutio vel forma castratis hostibus nuntiatur, qui victoriam quasi de infirmo exercitu presumentes, assumpta alacritate festinant; quorum tamen adventus exploratione cognoscitur. Cumque emensa sollempnitate paschali recens de lavacro pars maior exercitus, ducem se proelii profitetur, eligit expeditos, circumiecta percurrit, et e regione qua hostium sperabatur adventus, vallem circumdatam mediis montibus intuetur. Quo in loco novum componit exercitum ipse dux agminis. Et iam aderat ferox hostium multitudo, quam appropinquare videt in insidiis constituti. Tum subito Germanus signifer universos ammonet et predicat, ut voci sue uno clamore respondeant, securisque hostibus qui se insperatos adesse confiderent, alleluia tercio repetitum sacerdotes exclamabant. Sequitur una vox omnium, et elatum clamorem repercusso aere montium conclusa multiplicant. Hostile agmen terrore prosternitur, et super se non solum rupes circumdatas, sed etiam ipsam celi machinam contremiscit; trepidationique iniecte vix sufficere pedum pernicitas credebatur. Passim fugiunt, arma proiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini. Plures etiam timore precipites flumen quod transierant devoravit. Ultionem suam innocens exercitus intuetur, et victorie concesse ociosus spectator efficitur. Spolia colliguntur exposita, et celestis palme gaudia miles religiosus amplectitur. Triumphant sacerdotes hostibus fusis sine sanguine, triumphabant victoria fide obtenta non viribus. Composita itaque insula securitate multiplici, tam invisibilibus quam carne conspicuis, reditum moliuntur pontifices. Quibus tranquillam navigationem et merita propria et intercessio beati martyris Albani paraverunt, quos et eos suorum desideriis felix carina restituit. XXI.

Nec multo interposito tempore nuntiatur ex eadem insula Pelagianam perversitatem iterato paucis auctoribus dilatari. Rursusque ad beatissimum virum preces sacerdotum omnium deferuntur, ut causam Dei quam prius obtinuerat tutaretur. Quorum petitioni festinus obtemperat. Namque adiuncto sibi Severo totius sanctitatis viro, qui erat discipulus beatissimi patris Lupi episcopi Trecasenorum, et tunc Treveris ordinatus episcopus gentibus prime Germanie verbum